

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

piissimoque fratre, Dn. Erasmo, beatæ memoriæ discipulum, & Convictorem: si fortè tua reverentia melius vult cognoscere statum nostræ Salanæ. Valeat tua præstantia cum charissima conjuge, tota familia, & schola in Christo optimè, felicissimè, ac diuicissimè. Datum Jenæ, 14. Junii, Anno *Serapis* 1588.

D. Jac. Schopperus jam Onelisbachii agit Concionatorem aulicum.

Tua reverenda excellentia, ac dignitas

Observantissimus

D. Ambrosius Reudenius, P. h. t. Facultatis Theologiæ Decanus.

Inscriptio.

Reverendo, & clarissimo viro, erudita doctrina, singulari virtute, ac vera pietate præstantissimo, Dn. Philippo Marbachio, Sacrosanctæ Theologiæ Doctori, atque Gymnasii Claudisferani in Carinthia vigilantissimo Rectori, amico, & fautori suo in Christo perquam charo, & colendo.



XCI.

Sal. in Servatore Christo, Reverende & Clar. D. Doctore, amico & fratre plurimum colende.

EGO verò libentissime cognoscam ea, quæ adversus Neostadianos meditaris: non eam quidem ob causam, quam tu affers, ut iudicium mihi de tuis scriptis sumam, sed potius, ut tuo consensu juver atq; confirmer. Tametsi enim ab aliis quoq; nostrarum partium, viris magnis tractata sunt isthæc, & tractantur, ut quoad summam rei planè nihil desiderem, in ipso tamen tractationis modo, pace illorum dixerim, semper ejusmodi quoddam orationis quasi filum desideravi, quod semotis affectibus, non tantummodo inculcare sententiam nostram, eamq; sæpè repetitis iisdem per intervalla non longa argumentis stabiliret, sed etiam adversariorum argumenta, quæ ipsi conglobata & condensata solent proponere, evolveret, evoluta ad sua referret genera, eaq; perspicuitate refelleret, ut vitia conclusionum nobis adversantium in lucem & conspectum producta auditorum, sua sese turpitudine & nuditate condemnent. Quo in genere cum labor tuus præclare admodum versetur, erit mihi sanè gratissimus. Si quid tamen animadvertero, quod explicatione magis perspicua indigere existimabo, faciam sanè, ut scias, ita tamen, ut nihilominus tuo tu arbitrati refu-

refutationem istam pertexas. Ego nuper rogatus à fratribus, Catechesi Bipontinæ refutationem brevem opposui, cujus exemplum mitto, ac à te pro nostra conjunctione peto, ut iudicium tuum de ea ad me haud gravatè perscribas. Bipontinus Johannes clamitat libellum famosum esse, & nullis nisi scripturarum testimoniis, eòq; nomine non modò à nostris petiit, ut in me animadvertant, sed ipse quoq; dira minatur. Sed vivit Filius hominis, cujus gloria agitur. Sequenti mense, DOMINO volente, proponam disputationem satis copiosam de persona Christi Servatoris, de cujus thesibus vellem me colloqui tecum posse, priusquam prælo subjiciantur, quam tuam vicem, partim ea quæ misisti, explebunt, partim frater Doct. Erasmus.

De Gallicis rebus jam sine dubio omnia cognovistis: magni sunt motus, & obstupescendæ mutationes, sed quorsum evasuræ sint, res ipsa docebit. Interim tamen sperare aliqua possumus ἀληθείαι, quibus utinam rectè utamur. Vestris quoq; Ecclesiis nonnihil auræ mitioris afflari, ex animo sanè gaudeo, & Christum θεοποιήσας nostrum oro, ut id sit diurnum. Ex Saxonia & Thuringia, per aliquot jam menses nihil cerri cognovi, sed vulgati rumores non optima nunciant. Benè in Christo Servatore vale, vir clarissime & frater honorande, Argentorato, 13. Febr. 1589.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus.

Sunt apud me duo fratres Spaurii, quorum D. Parens cum gravaretur, Pædagogum ipsis alere, adunxi eis nepotem meum ex fratre Josepho. Verùm frater gravatur hac conditione tenui (nam pro Institutione 45. floreni tantum numerantur) filium suum occupare, & mavult omnes sumtus in illum facere, ut tantò citius ad optatam studiorum metam perveniat. Jam igitur, cum reperire hæctenus neminem potuerim, qui acceptis 45. istis florenis, suo sumtu victum sibi parare, & has operas velit præstare, scripsi D. Spaurio, ut de aliis duobus cogitet, qui filiis ipsius adjungantur, & communes impensas in Pædagogum & famulum sustineant. Quod ipse quidem ostendit sibi non displicere, sed negat, se nunc talem aliquam occasionem scire. Si apud vos essent, qui conjungi his commodè possent, non tam mihi, quam ipsi D. Spaurio subveniretur. Ipsi Spaurii juniores benè morati sunt, & diligentes in studiis, alter quatuordecim, alter duodecim annorum: proximo paschate progredientur ad tertiam classẽ, una cum meo filio Johanne.

XCII

S. D. Reverende & clarissime vir, amice carissime.

EX epistola, quam D. Panclovii filius mihi attulit, omnia isthic rectè se habere & florere intelligo. Quare de tanta felicitate vobis gratulor, ac, ut diuturna &

T t t t

per-